[...] quidate Ego peccatis delictorum uestrorum remissionem deum obsecro ut ipse uos heredes faciat in regno suo Deo gratias ago qui me dignam fecit in sorte iustorum connumerari deo dico. laudo deum et glorifico qui est benedictus in secula seculorum amen. Post orationem erexit se dicens fratri tolle gladium tuum et percute me. ecce iam uici mundum. At ille dixit Non interficiam sanctam uirginem dei Deus locutus est tibi. Percussa non auideo occidere te. Ad hec uirgo Si hoc non feceris non habebis partem mecum in paradyso dei mei. Qui cum timore attulit gladium et uno ictu amputauit caput beate margarete et orauit dicens Domine ne statuas in hoc peccatum Et tremens percussor cecidit cum percussore suo ad dextram beate margarete. Tunc sancti angeli sedentes super beatam margaretam benedixerunt eam. Et ueniebant demones et torquebantur et uocibus suis clamabant Vnus deus fortis beate margarete Et audientes infirmi. ceci claudi et surdi et debiles ueniebant et tangebant corpus beate uirginis et omnes salui fiebant. Tunc accedentes angeli cum uirtute magna et tollentes animam eius in gremio suo ascendunt super nubes clamantes et dicentes Non est similis tui in diis domine et non est secundum opera tua Sanctus sanctus sanctus dominus deus sabaoth. pleni sunt celi et terra gloria tua. osanna in excelsis. Et ueniebant demones et torquebantur ad reliquias beate margarete et infirmi salui fiebant a languoribus suis. Ego uero theotimus tuli reliquias sancte uirginis et posui in scrinio quod feci de lapide cum odore suauitatis. posuique eas in anthyochia ciuitate in domo Symonis sinclytice. Ipse enim ille qui ministrabat ei in carcere panem et aquam. et gesta eius omnia certamen quod habuit aduersus impios et omnes orationes eius scripsi in libris carthaceis cum astutia magna et diligentia unicuique xpistianorum in ueritate. Compleuit autem beata margareta certamen in mense iulio. quinto idus. indictione tercia decima. Omnes audite corda compungite. deum adorate. in una trinitate

·/· et crediderunt

memoriam agite beatissime margarete ut sua nobis misereatur precibus et memoretur apud deum et dominum nostrum ihesum xpistum suffragiis Cui est honor et gloria et imperium in secula seculorum Amen.

License: public_domain – Philadelphia, Pennsylvania, Free Library of Philadelphia, Lewis E 199, fol. 106r – Jacobus de Voragine, <i>Legenda aurea</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-owoe/10858/78300)